

Joachim Heinrich Pries


## **De Mortvrorvm Resvrrectione Hominibvs Religiosis Veteris Foederis Non Incognita**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1783]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838248293>

Druck Freier  Zugang






ZfB ME

05. Aug. 196

● entsäuert

Ms. lb. h.  
2972






DE  
MORTVORVM RESVRRECTIONE  
HOMINIBVS RELIGIOSIS VETERIS FOEDERIS  
NON INCOGNITA  
DISSERIT,  
ET  
DIES FESTOS ANNIVERSARIOS  
IESV REVIVISCENTI SACROS  
PIE AC RELIGIOSE AGENDOS  
ACADEMIAE CIVES O. O. HONORATISSIMOS  
PRO OFFICII RATIONE

MONET  
IOACHIMVS HENRICVS PRIES,  
THEOL. PROF. ET AD AEDEM SP. S. PASTOR,  
ACADEMIAE P. T. RECTOR.




ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS,

MORTUORVM RESURRECTIONE  
HOMINIVS RELIGIOSIS VETERIS TESTAMEN-  
TI NON INCOGNITA  
DISERTA  
ET  
DIEBVS FESTIS ANNIVERSARIIS  
IHSV REIVIVISCENTIS SACROS  
THE AC RELIGIOSE AGENDOS  
ACADEMIAE CIUIVS R. O. HONORATISSIMAE  
PRO OFFICII RATIONE  
MORNI  
IOACHIMVS HENRICVS PRIES  
THEOL. THEOS. ET AD AGEN. ET. A. PASTOR.  
ACADEMIAE R. O. RECTOR.




ROSTOCKII  
LITTERIS ADLERIANIS



Corporum humanorum, morte destructorum, ad vitam restitutio, certissime olim expectanda oraculis adeo perspicuis a CHRISTO eiusque legatis traditur, ut dubia videri non nisi iis possit, qui ab omnibus sanae interpretationis regulis longissime absunt, vel Redemptoris maiestatem diuinam, scriptorumque sacrorum Noui Foederis fidem atque auctoritatem procaciter negare audent. IESVS ipse plus simplici vice, dum versaretur cum hominibus, orationibus planis atque euentibus de futuro mortuorum e sepulcris egressu locutus est Ioh. V, 28. 29. VI, 40. 54. XI, 25. Matth. XXII, 29—32. et Apostolus PAVLLVS coram Felice verba faciens Actor. XXIV, 15. spem in DEO repositam profiteretur, fore, ut mortui ad vitam redeant, tam iusti quam iniusti; Corinthios quoque I Epist. XV. et 2 Epist. IV, 14. atque Thessalonicenses I Epist. IV, 14—16. resurrectionis indole et certitudine tam lucide instruit, nullus ut dubitationi esse possit locus,


A 2

Pro:



Producendae quidem spei et conuictioni nostrae, qui CHRISTO credimus eiusque Apostolis, erroris periculi expertibus, haec effata omni ex parte sufficiunt; nec argumentis e libris Veteris Foederis petitis dogmati diuinitus reuelato lux maior affundetur. Attamen non negligenda sunt, quae veritatum confirmationi e Volumine aequae sacro ac Nouum Testamentum, et ad salutem inspirato, quale Iudaeorum Canon a CHRISTO et Apostolis declaratur Ioh. V, 39. 2 Tim. III, 15—17. 2 Petr. I, 21. interuiunt, benignamque DEI ac prouidam curam ab antiquissimis inde temporibus testantur in manifestandis doctrinis, tantopere aptis et efficacibus ad mortis terrores repellendos, hominumque animos calamitatibus demissos et oppressos spe laetissima erigendos. Cum iis facere non possum, qui religiosos homines Veteris Foederis resuscitationis mortuorum a DEO procurandae ignaros, saltem de illa ambiguos fuisse, et CHRISTVM resurrectionis fidem primum perspicue docuisse asserunt: MOSIS potius et *Prophetarum* scriptis vim probandi non plane denegandam esse, persuasum mihi habeo.

Seligenda autem sunt argumenta idonea; vno plura enim Theologi passim in scriptis suis adhibuerunt, quibus nullum omnino inest pondus et momentum. Non iam vberius disputabo, quod quidam eo vsque progressi sunt, virgam AARONIS in confirmationem sacerdotii illi collati virentem, et vnica nocte gemmas protrudentem, flores emittentem et amygdala maturantem Num. XVII, 8. praeter tot alia, quae pie magis quam solide de illa meditati sunt, typum quoque declarare futurae mortuorum resurrectionis. Ne accommodatio quidem illustris huius miraculi, singulari prorsus occasione a DEO editi, ad corporum humanorum restitutionem in vniuerso sacrarum litterarum volumine deprehenditur, et quae in subsidium allegantur verba IESAIAE Cap. LXVI, 14. *ossa vestra herbae instar reuirescent*, nullam assertioni afferre possunt speciem. Etiam si enim de mortuorum resurrectione Prophetae sermo esset; vaticinium tamen, quum typi non nisi expresso scripturae testimonio constant, incongrue satis ad euentum illum



illum supernaturalem, a MOSE narratum, transferretur. IESAIAS vero de mortuorum ad vitam reditu ne quidem loquitur. Seriem orationis attendens, verba illum facere perspicieret de noua societate sacra, statumque in illa felice, omni spe meliori; ad quam quidem Iudaeis eo magis aditus pateret, quum DEVS simul recepturus esset Ethnicos. Inde a versu 7. huius Capitis *Zionem sistit matrem parituram* (tempus vaticinatur, quo ecclesiae verae membra noua adiungantur) *non vero doloribus*, qui alias partum antecedunt et comitantur (coetum illum DEI celerrime condi et augeri; nec colligi anxio labore, et inter bella diuturna, sed mediis lenibus et pacificis). Hunc inauditum et plane mirabilem effectum repetendum esse declarat a potentia DEI eiusque vi summa v. 9. Ecclesiam proponit nouos ciues excepturam affectu matris egregiae et praeclearae. Haec sicut infantes teneros vel gestat in humeris, vel iis in sinu positis blanditur; ita etiam nouos Zionis liberos experturos esse: *in brachio gestamini, super genua ludetis*. Fore, vt IEHOVA ad hunc coetum deducat felicitatem (שְׁלוֹם) copiosissimam (כְּנָהֵר) et opes gentium vberimas, quibus fruerentur (כְּנַחַל שִׁטָּף כְּבוֹר גּוֹיִם וַיִּנְחָתֵם) v. 11—13. Nunc quidem quum additur v. 14. *id si videbitis, laetabitur cor vestrum, et ossa vestra herbae instar reuiescent*; quomodo quaeso totum comma aliter explicari poterit, quam de laetitia eximia et summa, e bonorum, exspectatione maiorum, praesentia resultante! Vestrum gaudium de statu felice, rerumque prosperarum in noua ecclesia affluentia, erit tantum, vt corpus quoque iuuenescat, graminis more quasi reuiescat. Hoc IESAIAS dicit; de resurrectione vero mortuorum, quae quippe sortis iucundae adspectu non efficitur, hoc loco ne quidem cogitauit.

Idem iudicandum est de alio eiusdem Prophetiae oraculo, illo scilicet, quod exstat Cap. XXXV, 10. *Redempti per IEHOVAM redibunt* (יֹשְׁבֵי) *et Zionem venient iubilantes, perpetua perfusi laetitia continua voluptate fruentur, procul fugiente tristitia et moerore*. Resurrectionem doceri propositione: *Redempti per*


A 3

Ieho-



*Iehouam redibunt*, defendentibus, statuendum est: IESAIAM in toto capite felicitatem sistere N. T. et beneficia, quae CHRISTO referimus accepta. Redemptos hinc inde per IEOVAM fideles esse, beata morte defunctos, e sepulcro redituros, et Hierosolyma caeleste (Zionem κατ' ἐξοχήν) sedem laetitiaе omnibus numeris absolutae et nunquam cessantis, olim ingressuros Apoc. XXI, 2—4. Multa hic esse addenda, nec IESAIAM expresse loqui de *fidelibus, beata morte defunctis; nec de reditu e sepulcro, nec de Zione caelesti*; quiuis me non monente videt. Neminem quidem hae adiectiones omnes offendere possent, si nexus sermonis illas posceret; id vero longe aliter se habet. Capitis XXXV. cohaerentia est intima cum antecedente Capite XXXIV. quod funestissimam praenunciat hostium cladem, terrae Edom deuastatione finiendam. Excitat Propheta Israëlitae ad gaudium; acclamat illis v. 3. 4. *manus firmate remissas, et genua roborate labantia. Dicit hominibus meticulosis: fortes estote, nolite timere. Ecce DEVS vester, ultio venit, retributio DEI!* quae nimis aperte ad victoriam de hostibus reportandam in superioribus promissam respiciunt, de temporibus vero N. T. et Redemptore explicari nequeunt. Nec credendum est, verba v. 5. 6. *Oculi caecorum aperientur, reserabuntur surdorum aures, claudus cerui more exsultabit, mutaque ora carmina canent; MESSIAE exhibere characterem: quod miracula patraturus sit.* Tot quidem Theologi ita iudicarunt, opinantes, Redemptorem verbis, cum JOHANNIS discipulis Matth. XI, 4. 5. factis, ad hoc de se vaticinium respexisse. Sed quisnam IESAIAE enunciationis, si de iis exponitur, qui miseria et morbis corporalibus conflantur, quisnam inquam, illius esset nexus cum statim subsequens: *Nam in deserto fontes, et in planitie flumina erumpent.* Eo, quod flumina erumpunt in deserto, nec caeco videndi, nec furdo audiendi, nec claudoeundi vis confertur. Propheta praeter ea nullius meminit personae, hinc nec Messiae, sanantis eos, quos caecos, surdos et claudos nominauerat. CHRISTVS quoque Matth. XI, 4. 5. IESAIAM non allegat, sed generatim prouocat ad miracula, publice edita, et a quouis sensibus percipienda.

*Abeatis*



*Abeatis* inquit, et *Johanni* renunciatis, quae auditis et videtis. *Caeci* visum recipiunt, et *claudi* ambulant, *leprosi* mundantur, et *sardi* audiunt, *mortui* suscitantur, et *pauperibus* *Euangelium* praedicatur. *Capitis XXXV. JESAIAE* haec est summa: post hostes, praecise *Edomitas*, debellatos, *Judaea* deuastata et siticulis deserto similis, eximie florebit: incolae vera fruuntur felicitate, omniaque iis ex voto cedent. Variis hic status prosperrimus pingitur imaginibus. *Libani* decus, splendorem *Carmeli* et *Saronis* terra nanciscetur; planities, quae aestu torretur, aquam funder largissimam: rara aridaque gramina, post quae serpentes latent, iam mutabuntur arundine, regiones humiditas amante. *Ferae*, quae viatorum turbarunt securitatem, non amplius erunt timendae. *DEI* cultus exercebitur absque persecutionibus. *Incolae* veritatibus reuelatis delectabuntur, institutionem in illis auide excipient, virtutum erunt studiosi, laeti videbunt beneficia *DEI*, et ad illorum celebrationem ora aperient, miseria durante occlusa. *Per IEROVAM* vi hostium liberati, ejusque potentia redempti iubilantes redibunt *Hierosolymam*, et continua fruuntur voluptate, nulla vnquam formidine de hostibus pristinis, plane deuictis, interrumpenda. Non itaque de redemptis per *CHRISTVM*, non de *Hierosolyma* siue *Zione* caelesti, non de fidelibus, non de mortuis, hinc nec de horum resuscitatione sermo est.

Prouocatur porro ad verba *Pf. XC, 3. Tu (DEVS)* redigis homines ad puluerem, et dicis: redite (שובו) filii hominum, quorum vltima propositio de reditu ad vitam die nouissimo a quibusdam explicatur. Sed nec illis vis est tribuenda. *MOSES* in *Psalmo DEVM* praedicat aeternum et immutabilem; hominum vero vitam proponit breuem, fugacem atque caducam. Ad prudentiam hortatur, continua mortis consideratione acquirendam. Quae itaque de hominum conditione dicuntur, ita sunt exponenda, vt his veritatibus conueniant. Non iis refragarer, qui cum *LVTHERO* in commentario ad *Pf.* de generationibus nouis, demortuorum locum occupantibus, cogitant, vt *MOSES* dicere velir: has *DEVM* vices seruare solere,

vt




vt altera generatio abeat, et altera succedat; nisi de morte tantum vbiuis verba fierent, et miseria e peccato orta in subsequentibus traderetur. Illorum itaque praefero interpretationem, qui posteriore propositionem illustrationem vberioris prioris declarant, et sensum totius commatis ita efferunt: *ad pulverem DEVS redigis mortales, et potentia TVA mandas: redeatis (ad terram) filii Adami, ex qua desumpti estis.* coll. Genes. III, 19.

Nec MARTHAЕ declaratio Ioh. XI, 24. proferri potest ea certitudine, quae omnem oppositi formidinem excluderet. Dicit quidem, quum IESVS illam dolore de LAZARI morte pressam consolatur, fore, vt LAZARVS in vitam redeat: *scio, fratrem meum resurgere die nouissimo*, eoque conuictionem de dogmate hocce profitetur. Sed valet exceptio, illam inter et IESVM summum tamdiu intercessisse vsu, eamque forsan ex orationibus Redemptoris, quae locutus erat Joh. V, 28. 29. VI, 40. 54. etc. hanc cognitionem percepisse.

Maxime vrgent multi vaticinium HOSEAE Cap. XIII, 14. sed non minus dictorum probantium numero illud eximo. Verba ita sonant: מִי־דָבַר אֱלֹהִים מִתְּחִלָּה אֲנִי דְבַרְיָךְ מוֹת אֱלֹהִים קִטְבְּךָ שְׂאוֹל נַחַם יִסְתֵּר מֵעֵינַי:

Ob I Cor. XV. 53. 54. ita pronunciare mouentur, quia credunt, PAVLLVM respexisse verba HOSEAE, quum ait: in resurrectione iustorum impleri, quod scriptum est: *κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νίκος. πᾶς σαρξ θάνατε, τὸ κέντρον; πᾶς σαρξ, ἀδὴ, τὸ νίκος;* Sed PAVLLVS plane non meminit, se HOSEAM citare, e pluribus potius Prophetarum scriptis phrasas mutuatur, illasque ad resurrectionem fidelium accommodat. Et qui PAVLLVM cum HOSEA comparat, mox perspicier, quanta vtriusque scriptoris diuini sit dissimilitudo. HOSEAS et in antecedentibus et consequentibus iudicia annunciat diuina, quae ob grauissima peccata Ephraim s. decem illos Israëlis tribus manent. DEVM loquentem induxerat inde a v. 8. Occurrat illis vt vsus orbatus, et laceratis eorum praecordiis vti leo eos ibi consu.




consumam, ferae agrestes eos discerpent. Ipsi estis, o Israëlitae! exitii vestri causa, ego enim vobis fuisset auxilio. Ephraimi peccata ut fasciculus colligata et reposita sunt. Versu 15. ait: Nam quum ille (Ephraim) inter populares suos indomitae sit naturae, ventus orientis JEHOVAE e deserto ascendens fontes ejus arefaciet, omnesque scaturigines exsiccat. His iam iudiciis diuinis si interferuntur verba v. 14. quomodo aliter exponi possunt; quam: liberare quidem illos possem (אֶפְרַיִם) ab inferno, redimere (אֶפְרַיִם) e morte (malis summis.) Esse possem pestis tua o mors; tuumque o inferne iudicium (possem eos eripere, etiamsi periculum esset maximum, mortem inferens, atque in sepulcrum ducens.) Sed poenitentia erit abscondita ab oculis meis יִסְתֵּר מֵעֵינַי נִחַם (nihil est, quod me ad decreti mei mutationem mouere possit). Ebraeos ob defectum modi potentialis ut Futuro indicatiui, etiam tironibus notum est.

Denique nec locum illum celebrem DANIELIS Cap. XII, 2. de resurrectione mortuorum explicare possum; ei enim nexus nimis arctus est cum antecedentibus, quae de liberatione populi Iudaici ab infano Antiochi Epiphanis furore praecipunt, et aequae minus ac subsequenter talem interpretationem admittunt. Michael, quem Iudam Maccabaeum fuisse ex historia satis constat, v. 1. sistitur summus princeps, gentis suae defensionem suscipiens, et isto tempore (בְּעֵת הַהִיא) qui libro inscripti sunt (quos DEVS prouida cura liberandos decreuit) grauissima afflictione, qualem nunquam antea experti essent, eripiens. His iam statim adiicitur: Et multi ex iis, qui in puluere obdormierant, isto hinc inde tempore, (בְּעֵת הַהִיא) expergescent, alii quidem ad vitam sempiternam (לְחַיֵּי עוֹלָם) alii ad opprobria et ignominiam aeternam (חֲרָפוֹת לְרָאוֹן עוֹלָם). Et qui alios instituerunt, multosque ad pietatem excitarunt, fulgebunt ut fulgor caelestis, ut stellae in aeternum. Tibi quidem DANIEL haec videbuntur occulta atque obscura, sed extremis temporibus multi sine haesitatione sensum inuenient. v. 3. 4. Resurrectionem mortuorum v. 2. tradi opinantes, sermonem quidem hoc modo copulant; do-

B

ctinam




Etinam de reditu ad vitam in solatium proponi omnibus, qui in *Antiochi* persecutionibus interituri essent; atque sic plana omnia et perspicua esse sibi persuadent. Sed nedum nexum talem in gratiam interpretationis semel receptae fingi, vna pluribus eiusmodi explicandi ratio difficultatibus premitur. De populo per principem *Michaëlem* liberando, non de iis, qui peribunt, versu i. verba fiunt; non liquet, qui scribi potuisset, *multi* (רבים) qui obdormierunt, expergescent, quum nonnisi ille e reditu ad vitam reportare solatium possit, qui de vniuersali, sibi quoque instante, ad salutem aeternam resurrectione conuictus est; cur mentio simul iniiceretur *impiorum*; et quomodo *Danieli* dici potuisset v. 4. haec ipsi videri abstrusa et obscura, quomodo illi mandari potuisset occultatio atque obsignatio vaticinii ad extrema vsque tempora, quibus multi absque haesitatione inuenirent sensum, si dogma proposuit, sibi et coaeuis omnibus, sicut subsequencia ostendent, satis notum. Optime vero cuncta cohaerent, si ex euentu i *Maccab. II, 41-43.* narrato vaticinium exponimus, et per obdormientes in puluere atque euigilantes intelligimus, qui propter persecutiones se abdiderant in speluncis et locis subterraneis, *Iudae Maccabaei* vero virtute excitati prodierunt. Horum quidam constantes fuerunt in patria religione defendenda, gloriam et felicitatem consecuti sempiternam: quidam ab ea defecerunt, opprobrium perenne atque ignominiam accipientes aeternam.

Superfunt vero argumenta satis dilucida, quibus certo constat, non demum per *CHRISTVM* manifestatam esse de mortuorum resurrectione doctrinam, sed ante illum ecclesiae iam iam innotuisse. Generatim hoc patet e verbis *IESAIAE* Cap. XXVI, 19, 20. quibus Propheta consolatur populares suos, vt patriae suae demastationem patienter ferant, quia sperare possent, fore, vt *DEVS* eorum rem publicam restituat, et iniuriam ipsis ab hostibus illatam vlciscatur. *Vivent mortui tui, cadauera eorum surgent Expergescenti contentent sepulcri habitatores. Quia ros olerum est ros tuam; terra mortuos edet. Abi mi popule intra penetralia tua, et clauso post te ostio per exiguum tempus*

*tempus latita, donec ira transferit.* Nullus fane vsus, nulla claritas fuisset imaginis, qua interitus rei publicae Iudaicae cum morte, illius restitutio cum reditu in vitam comparatur, nisi dogma de futura resurrectione Israëlitis fuisset cognitum. Et EZECHIEL quando Cap. XXXVII, 1 — 14. Iudaeorum reditum in terram suam finita captiuitate Babylonica allegorice ita sistere iubetur; DEVM ossa arida spiritu vitali animare, neruis instruere, carne obducere, cute obtegere, tandemque illis vitam largiri velle; quid rectius inde cogimus, quam Israëlitas sane latere non potuisse mortuorum resurrectionem, a DEO procurandam, cuius indoles in imagine tam lucide sistitur, et ad meliorem populi sortem certissime expectandam transfertur.

Sed ad specialiora descendo; et ea exhibeo testimonia, quae distinctius thesin nostram extra omnem dubitationem ponunt, atque hominum religiosorum V. T. spem de mortuorum ad vitam restitutione certam fuisse, declarant. Ut a CHRISTI temporibus dicendi initium faciam, Phariseorum cum Sadducaeis disceptationes, acriter toties gestae Actor. XXIII, 6 — 8. et duo saltem secula ante CHRISTVM excedentes, resurrectionem sistunt doctrinam, in ecclesia Iudaica publice propositam, et multorum assensione comprobata. E temporibus Maccabaeorum egregia illa adest confessio matris piae et filiorum, contra quos *Antiochus* tantopere saeuivit, 2 Macc. VII, 9. II. 14. 23. 29. Lucidius fides in resurrectionem futuram declarari nequit, quam enunciationibus: *vita praesente quidem eximimur, verum Rex mundi nos pro lege sua mortuos suscitabit ad aeternam vitae resurrectionem. Magnum est solatium, sperare, si homines nos occidunt, DEVM nos ad vitam reducere. Qui totum mundum omnesque homines produxit, vitam quoque, quae Legis sui causa nihili habetur, reddet clementissime.*

DAVIDEM, si ulterius retrogredimur, non solum varicinantem deprehendimus de MESSIAE reditu ad vitam gloriosissimo, in effato illo illustri Pl. XVI, 10. coll. Actor. II, 27. seqq. *Non me derelinques in sepulcro, nec fines, quem amore prosequeris, videre corruptionem; sed de resurrectionis etiam*



suae hominumque omnium futurae cognitione tanta in Psalmis exhibet documenta, quae dubios nos atque incertos relinquere non possunt. *Prioris* quidem testimonium exstat Ps. XVII, 15. vbi DEO pollicetur iustitiam affectare, vt eius faciem videat, et si expergesceret, in eius adspectu fatieretur. Etenim secundum nexum propositio posterior aliter quam de resurrectione non explicanda est. Scio quidem, quosdam de tempore matutino cogitare, quo DAVIDES assiduus DEI cultor templum intrare, sacrificia offerre et adorare promitteret: sed nedum vocibus ex parte significationes rarius occurrentes et aegre probandas tribui debere, Psalmi argumento hoc non adeo conuenit. Diuinam in illo precatur protectionem ab inimicis suis potentibus, illorumque de loco deiectionem; et in fine subiungit: impium saepe, cui nulla in altero aeuo spes, felicitate continua in hoc mundo frui; se hinc inde vitam sic velle transigere, vt aliquando DEI faciem in caelo videat, et si in resurrectione expergescat, in eius adspectu fatieretur. *Posterioris* vero, notitiae nimirum resuscitationis omnium hominum futurae, documentum habetur Ps. XLIX, 15. *Impios* sistit, quibus durante illorum vita in hac terra omnia ex voto cesserint, tandem segregandos tanquam oves ad infernum (כִּצְאֵן לְשֵׂאוֹל שְׂחֹר) quos mors aliquamdiu pasceret (מִן יָרֵעַ) denique vero inferno peculium traderet; in quos subsequente mane dominantur iusti (וַיִּקְרָא כֹּסֵי יִשְׂרָאֵל לְבָקֶר). Subsequens hoc tempus matutinum sane dies resurrectionis est, iustos felicitate summa prae impiis exornans, ab impiis vero etiam mortis noctem pellens, et in infernum eos detrudens.


mostis cognitionem Redemptor ipse satis declarauit disputatione contra Sadducaeos Matth. XXII, 29 - 32. Marc. XII, 26. 27. et Luc. XX, 37. 38. Errorem illorum conuincit, quia nesciant, mosti resurrectionem mortuorum perspectam fuisse, DEVMque ipsum fideli suo seruo dogma hocce proposuisse Exod. III, 6. dum se DEVM nominet ABRAHAMI, ISAACI et IACOBI, non vero DEVS sit mortuorum, sed viuentium.

Non

Non vero putandum, MOSI primum a DEO illud reuelatum esse. Etenim non tantum PAVLLVS docet Ebr. XI, 13—16. Patriarchas fide e mundo exiisse, quia agnouerint, esse se hospites et peregrinos in hac terra, et cupiuisse patriam meliorem, caelestem, et ciuitatem, a DEO illis paratam; de ABRAHAMO in specie affirmat v. 19. fuisse illum in immolando ISAACO tam promptum atque obedientem, quia cogitauit, DEVM filium suum e morte ad vitam reducere posse; quae omnia absque spe certa futurae resurrectionis mortuorum concipi profecto nequeunt: sed IOBVS quoque Cap. XIX, 25. 26. 27. confessionem de fide sua in resurrectionem edit praeclaram.


Tot quidem interpretes egregie docti assertioni contradicunt, et IOBVM tantum restitutionem ad pristinam felicitatem sperare asserunt\*); nec diffiteor, e verbis in se solis et citra respectum ad vniuersum libri argumentum consideratis aegre componi, quanam sententia alteri sit praefenda. Grammaticae regulis et vocum ac phrasium significationi non repugnat, cum Ven. I. C. Doederlein in scholiis ad h. l. ita vertere: *noui redemptorem meum esse uiuentem, qui puluerem posthaec expugnaturus est* (puluerem subiget, et me cinere et puluere contactum eripiet). *Reiiciam* (אחר loco אחר secundum solitam Syncopen in prima futuri a radice אחר pone sequi, in coniugatione quarta, reiicere, post se relinquere) *cutem meam his excessam* (אמר נפני זמר) abiiciam cutem, quam arrodunt  
haec

\* ) Grotium cum Clerico ita sentire, iisque accessisse e recentioribus plures, in primis Ven. I. C. Doederlein et Hufnagel, inter eruditos constat. Sunt vero etiam, qui verba *optatine* de statu meliori in hac vita exponenda esse iudicant; et e versu 23. repetunt *אני חי* hoc modo sensum efferentes: *osi experirer, redemptorem meum viuere! osi contra puluerem exurgeret etc.* | Auctor der kleinen Bibel, quantum scio, primus est, et Ven. Moldenbauer Kilomensis in der Uebersetzung des Buchs Hiob calculum illi adiecit. Sed eadem, quae Grotii et qui cum sequuntur, interpretationi aduersantur, etiam hanc premunt: v. 27. praeterea cum antecedente intime cohaerens, expressam continet enunciationem declaratiuam: *quem ego mihi videbo, et oculi mei cernent.*




haec scil. vermes, vlcera, caries). *E carne mea videbo DEVM;* (DEI benevolentia fruar; cernam illum mihi propitium Phrasēs: DEVS occultat faciem, toties de infortunio; faciem suam lucere facit vero de felicitate adhibentur) *mihi illum cernam* (fauentem. E mutata conditione intelligam, DEVM mihi bene velle). *Oculi mei illum videbunt, non amplius inimicum.* (לא וי). Attamen ex altera parte etiam concedendum est, omnia verba de resurrectione, et meliori statu post hanc vitam eodem, quid? quod maiori iure explicari posse. Tempore resurrectionis pulvis a Redemptore omnipotente subigetur, et corporum restitutioni inseruiet; IOBVS post se relinquet cutem laceram, vermibus et vlceribus exesam, et corpore sano, immortali et glorioso prodibit; oculis suis, carne sua, ipse nec alienus (ex prima et propria vocis וי potestate) DEVM videbit, eodem corpore iterum vestitus, quo verba ista protulit. Aliunde sane decidendum est, quam spem IOBVS foueat, et de quanam felicitate hoc oraculo gloriatur. Spem vitae amplius continuandae et felicitatis pristinae tunc temporis habuerit tantum abest, vt potius mortem certissimam et cum ea miseriarum finem exspectauerit. Multa sunt, quae tali mente IOBVM fuisse confirmant, vt nihil omnino de vita continuanda et felicitate in hac vita cogitare potuerit. Attendantur phrasēs Cap. VII, 6. 7. 8. 15. 16. 21. X, 20. 21. XIII, 19. XVI, 22. XVII, 1. 11. 13—16. XIX, 10. XXX, 27. obuiaē; absque spe dies mei ad finem properant; oculus meus felicem statum non iterum videbit; mōx obmutescam et moriar; post breue tempus in via ero, vnde non reuertar; spes mea, sicut arbor, euellitur; scio, quod me ducturus sis ad mortem domumque, in quam omnes viuentes conueniunt: attendantur haec phrasēs, et iudicetur, quonam argumento probandum sit, e duabus explicationibus propositis priorem posteriori esse anteponendam. Qui praeter ea totius libri disputationem omnemque orationis seriem accurate scrutabitur, inueniet, eam sententiae eorum, qui de spe recuperandae felicitatis interpretantur, prorsus repugnare. Tota nimirum disceptatio inter IOBVM et amicos in eo versatur, quod quum

quum amici animum illius fractum spe meliorum temporum erigere tentarent, hoc solatium, tanquam inane et vanum a JOBO fuerit explosum. Spem fecerat felicitatis recuperandae *Eliphaz* Cap. V. in quo confutando IOBVS deinde versatur Cap. VI. et seq. Qua quidem confutatione quid opus fuisset, si eandem spem IOBVS ipse animo fouisset! Non locum habere potest, IOBVM amicorum quasi argumentis conuictum mutata mente, quam antea abiecerat spem, denuo concepisse. In sequentibus enim, se non nisi mortem optare et exspectare, profitetur constantissime. Conf. Cap. XXX, 27. Dicunt quidem viri praestantissimi, contra quos disputo, aegrotantes ex inconstantia alio tempore defendere, cui alio contradixerint; illud vero quamuis toties locum habeat, de eo tamen dici nequit, qui omnem recuperandae sanitatis spem abiecit, nec nisi morte miseriam finiendam esse, conuictus est. Excipiunt porro: IOBVM nunquam repetere confessionem; quod etiamsi esset, assertioni nostrae non officeret, attamen Cap. XIV, 13. haud obscure ille loquitur de nouo fato, post quietem in morte finitam sibi imminente; Cap. XXI, 30—32. XXIV, 18—20. XXVI, 5. XXVII, 8. malignorum post hanc vitam poenas docet, et Cap. XXVII, 19. impiorum ad vitam reditum tradit verbis: *impius diues confert se dormitum; aperit oculos (in resurrectione) et nihil adest.* Opponunt tandem infantiam religionis IOBI tempore, et 2 Tim. I, 10. vnde argumentantur, IESVM primum resurrectionis fidem perspicue docuisse. Sed quid e religionis infantia contra hanc notitiam concludi possit, non perspicio. Dogma de resurrectione planum est et lucidum, a quouis facile percipiendum, et tantopere, si doctrinis de Redemptore et animae immortalitate iungitur, confert ad mentis tranquillitatem, mortisque terrores repellendos, ut a prouida DEI cura eius manifestatio mature exspectanda sit. PAVLVS 2 Tim. I, 10. plura non dicit, quam IESVM maiori luce doctrinas de vita aeterna et resurrectione collustrasse; *Φωτισω* enim de prima perspicua doctrina si explicandum foret, nemini in V. T. spes salutis



salutis et reditus in vitam certa potuisset inesse, quod quam sit a vero alienum, superiora docent. Conf. Actor. XV, 11.

Sed haec pro instituto meo dicta sunt; quibus diutius non immoror, ad ea properans, quorum causa haec scripsi. Celebramus hodie *Ciues Academiae O. O. Honoratissimi*, diem festum, memoriae reditus in vitam Domini nostri IESV CHRISTI sacrum. Glorioso hoc e sepulcro egressu Redemptor futurae nostrae resurrectionis ad felicitatem perennem salutemque omnibus numeris absolutam spem lucidius confirmavit, et satisfactionis plenariae certitudinem demonstravit. De illo, mortis victore, iam laeti exsultare possumus. Sicuti in Adamo omnes moriuntur, ita et in CHRISTO omnes viuificabuntur I Cor. XV, 22. Apprehendamus modo eius meritum fide vera, et seruiamus illi vita sancta. Resurgamus omnes e peccatorum sepulcro, et recordemur admonitionis Paullinae: quemadmodum suscitatus est CHRISTVS ex mortuis in gloriam Patris; ita et nos in noua vita ambulemus Rom. VI, 4.




P. P.


S V B S I G I L L O R E C T O R I S  
 F E R I A I . P A S C H A L I  
 A . S . R . M D C C L X X X I I I .











Handwritten text on a light-colored paper label affixed to the spine of the book.

Handwritten text on the spine of the book, partially obscured by the label.



Handwritten text on the spine of the book, partially obscured by the label.



Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838248293/phys\\_0024](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838248293/phys_0024)





*hanc ira transferit.* Nullus fane vsus, nulla  
magis, qua interitus rei publicae Iudaicae cum  
restitutione cum reditu in vitam comparatur, nisi  
a resurrectione Israëlitis fuisset cognitum. Et  
secundo Cap. XXXVII, 1 — 14. Iudaeorum  
vitam suam finita captiuitate Babylonica alle-  
gere iubetur; DEVM ossa arida spiritu vitali ani-  
mistruere, carne obducere, cute obtegere, tan-  
tam largiri velle; quid rectius inde cogimus,  
fane latere non potuisse mortuorum resuscita-  
tionem procurandam, cuius indoles in imagine tam  
et ad meliorem populi sortem certissime exspe-  
ratur.

et specialiora descendo; et ea exhibeo testimonia,  
quae thesin nostram extra omnem dubitationem po-  
puli religiosorum V. T. spem de mortuo-  
rum restitutione certam fuisse, declarant. Vt a  
temporibus dicendi initium faciam, Pharisaeo-  
rum duceis disceptationes, acriter toties gestae  
— 8. et duo saltem secula ante CHRISTVM ex-  
urrectionem sistunt doctrinam, in ecclesia Iudaica  
vitam, et multorum assensione comprobaram.  
Maccabaeorum egregia illa adest confessio ma-  
rum, contra quos *Antiochus* tantopere saeuivit,  
II. 14. 23. 29. Lucidius fides in resurrectio-  
nem declarari nequit, quam enunciationibus: *vita  
eximimur, verum Rex mundi nos pro lege sua  
vitam ad aeternam vitae resurrectionem. Magnum est  
re, si homines nos occidunt, DEVM nos ad vitam  
totum mundum omnesque homines produxit, vitam  
regis sui causa nihili habetur, reddet clementissime.*

si vltterius retrogredimur, non solum vari-  
etiam hendimus de MESSIAE reditu ad vitam glo-  
reffato illo illustri Pl. XVI, 10. coll. Actor. II,  
*in me derelinques in sepulcro, nec fines, quem amore  
dere corruptionem; sed de resurrectionis etiam  
suae*